

Ad Apulei Metamorphoses.

IX 8 p. 159, 18 *Sors haec erat
ideo coniuncti terram proscindunt boves
ut in futurum laeta germinent sata.*

tum si qui matrimonium sorte captantes interrogarent, rem ipsam responderi aiebant iungendos conubio et satis liberis praereandis. Pro sorte melius cum Rohdio (Mus. Rhen. XL p. 66 sq.) legetur forte; verba sensu vacua quae sequuntur ita constituo: rem ipsam responderi aiebant, bobus iungendo conubio et satis liberis procreandis, ita ut conubio et liberis sint dativi. Respondent Galli sortem faustissimum praebere auspiciam, boves enim coniunctos significare felix fore matrimonium et sata germinantia portendere prolem abundantem.

IX 10 p. 160, 25 *Propter unicum cantharum, quem deum mater sororisuae deae Syriae hospitale munus optulit (optulerit?), noxios religionis antistites ad discrimen vocari capit.* Hildebrandius 'noxios. hanc lectionem Oudendorpius bene defendit contra istorum temeritatem, qui loco non intellecto *innoxios* reponere tentant; *noxius* enim hic est reus sacrilegii et laesae seu violatae religionis, ut Tac. ann. V 11 *ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat*'. optime, dummodo etiam apud Apuleium reponatur *ut noxios*.

IX 19 p. 166, 18 *ita gaudio perfusus ad suae fidei praecipitium [festinat] Myrmex non modo capere verum saltem contingere, quam exitio suo viderat pecuniam cupiens et ut magnis suis laboribus perfectum desiderium Philetaero laetitia percito nuntiat. Festinat* in codd. abest. Pro *et* Petschenig optime coniecerat *ut*; quodsi mea emendatio vera est, utrumque vocabulum erit retinendum. *Laetitia percito* scripsi pro *percitus*, quippe iam Myrmex gaudio perfusus erat.

Saepius in Apuleio optimae superiorum editorum lectiones prae nimia codicum religione spernuntur: ut iam Pricaeus monuit c. 25 huius libri p. 170, 11 post verba *ad quampiam tantisper familiarem sibi mulierem* inserendum esse *diverteret* (atque adeo *deverteret*). Ita c. 32 p. 174, 5 iam Fulvius correxit *merce* pro *mercede* et c. 37 p. 177, 17 Colvius bene *conterere* mutavit in *conterrere*.

X 7 p. 186, 12 *et prorsus orationes altercationesque neque ipse absens apud praesepeium scire potui neque ad vos quae ignoravi possum enuntiare. Potui* in libris manu scriptis excidit.

X 19 p. 194, 10 *at ille nequaquam ut posset de me suave provenire, lucro suo tantum contentus, annuit. ut* qui addidit Spengelius Mus. Rhen. XVI p. 36, ita locum interpretatus esse videtur: *nequaquam eo consilio ut mulier ex meo concubitu voluptatem caperet*. Hildebrandius recepit Bernhardyi coniecturam quae ei videbatur ingeniosissima *ille nequam, quum posset de me suave promerere lucro suo tantum adscensum annuit*. Multo melius Oudendorpius *ille nequaquam curans, possetne de me suave provenire*. Libri *nequam quam vel nequaquam posset de me suave*

provenire. Mihi verum videtur at ille nequaquam curans quam posset illi de me suave provenire collatis praesertim Graecis c. 50 κάκεινος οὐδὲν φροντίσας, εἴτε ἀνύσει τι ἐκείνη ἔξ ἐμοῦ εἴτε καὶ μὴ, λαμβάνει τὸν μισθόν.

X 25 p. 197, 26 *medicum convenit quendam notae perfidiae qui iam multarum palmarum spectatus proelii magna dexterae suae tropaea numerabat.* Verba ut nunc quidem eduntur non satis inter se cohaerent; uno vocabulo iterato omnibus sententia sua reddetur: *qui iam multarum palmarum, multis spectatus proeliis.* Videtur Apuleius memor fuisse loci Ciceroniani pro Rosc. Amer. 18 *alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur.*

X 26 *sic elisus violenter spectatissimus medicus effundit spiritum.* Corrigendum videtur *sic elisum violenter* cf. p. 143, 14 *statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.* p. 178, 15 *inpyram elidit divitis animam.* Celsus IV 4, 1 *opus est deinde fomentis humidis, nam sicca spiritum elidunt.*

XI 3 p. 206, 27 *corona multiformis variis floribus sublimem distrinxerat verticem cuius media quidem super frontem plana rotunditas in modum speculi velut nimbo* (ita mutavit Eyssenh. lectionem codicum *vel immo*) [*argumentum*] *lunae candidum lumen emicabat, dextra laevaue sulcis insurgentium viperarum cohibita, spicis etiam Cerealibus desuper porrectis multicolor bysso tenui pertexta nunc albo colore lucida nunc croceo flore lutea nunc roseo rubore flammida et quae longe longeque etiam meum confutabat oputum palla nigerrima splendescens atro nitore* e. q. s. Priorem sententiae partem esse corruptam nescio an editor male sibi persuaserit et lectio codicum *vel immo argumentum lunae* optime sese habeat. Hoc vero pro comperto habeo post *porrectis* priorem sententiae partem absolutam esse et initio alterius partis vocabulum *tunica* vel *vestis* excidisse. Ut hic ipsa dea tunica multicolore et pallio nigro amicta est, mox sive Apuleius sive Lucius ille in quo delitescit Isidis initiatur sacris *byssina veste conspicuus, chlamyda pretiosa umeris dependente* (p. 220, 19). Descriptio nostra satis accurate respondet signo Isidis, quod in Vaticano servatur cuiusque delineatio invenitur in libro 'Denkmäler des klass. Alterthums' p. 761.

XI 20 *et ecce superveniunt de patria quos ibi reliqueram famulos cum me Fotis malis incapistrasset erroribus . . . incognitis scilicet famulis meis . . . nec non et equum quoque illum meum reducentes quem . . . recuperaverant.* Eyssenh. *incognitis* scripsi: *cognitis F φ.* Quin igitur libros sequimur legendo *cognitis fabulis meis?* Accedunt famuli, qui antea quid ero factum esset, ignorabant, auditis, quae de illo narrabantur. cf. p. 97, 15 *nec enim vos utique domus meae famosa fabula et non dicendi (dicenda?) filii mei facta latuerunt.*

Harlemi.

I o h. van der Vliet.